

## DISTINCTIO XIX

Lucida et aperta divisio huius distinctionis, in qua quidem Magister tractatum de aequalitate personarum auspicatur.

NUNC POSTQUAM etc. Hucusque Magister determinavit de divinae essentiae unitate, personarum trinitate, ac personalis originis distinctione et alietate, hic in ista 19. distinctione incipit tractare de praedictarum personarum aequalitate, et dividitur in duas partes. Quia primo ostendit divinarum personarum aequalem maiestatem. Secundo ostendit ex praedictis oriri quandam singularem difficultatem ibi, 'Hoc oritur quaestio trahens' etc. Prima in duas, quia primo ostendit personarum aequalitatem ex hoc, quod habent eandem magnitudinem et maiestatem in essendo. Secundo ex hoc, quod habent eandem virtutem, et potestatem in agendo ibi, 'Nunc ostendemus'. Prima dividitur in tres. Quia primo magister ostendit, in quo consistit personarum aequalitas in communi, scilicet in aeternitate, magnitudine et potestate. Secundo probat haec tria non differre re, sed sola ratione. Et tertio prosequitur personarum aequalitatem in speciali, prout attenditur in ipsa magnitudine. Secunda ibi, 'cumque enumeretur ista'. Tertia ibi, 'quod quidem aeternitate'. Et haec dividitur in tres. Quia primo ostendit divinarum personarum magnitudinis aequalitatem propter consubstantialitatis unitatem. Secundo, propter totalitatis immunitatem, et tertio propter simplicitatis puritatem. Secunda ibi, 'sed iam nunc'. Tertia ibi, 'sciendum est igitur'. Prima dividitur in duas, quia primo probat intentum ex hoc, quod tres divinae personae sunt realiter una natura. Secundo ex hoc, quod quaelibet divina persona habet esse in alia persona. Secunda ibi, 'et inde est quod pater dicitur esse'. Tunc sequitur illa pars, 'sed iam nunc'. Et dividitur in tres. Quia primo ponit veritatis intentae declarationem. Secundo econtra ducit apparentem objectionem. Tertio huius objectionis subdit solutionem. Secunda ibi, 'his videntur adversari'. Tertia ibi, 'haec, quae hic dicuntur'. Prima in tres. Quia primo ostendit quod natura respectu divinarum personarum non habet rationem totius integralis. Secundo, quod non habet rationem totius universalis. Et tertio, quod non habet se in ratione partis materialis vel formalis. Secunda ibi, 'hic adiciendum est'. Tertia ibi, 'notandum etiam quod essentia'. Tunc sequitur illa pars, 'sciendum est igitur'. Et dividitur in tres. Quia primo magister probat divinam simplicitatem ex eo, quod una persona non est minor personis pluribus. Secunda infert ex praedictis, quod Deus non debet dici triplex, sed trinus. Tertio ostendit quod modus his oppositus invenitur in rebus corporalibus. Secunda ibi, 'praeterea cum Deus'. Tertia ibi, 'in rebus corporeis'. Hic quaero.

## Quaestio I

An una divina persona sit in alia?

Licet singulam quamque personam divinam in singula quaque earum esse neque ex earum productione, neque ex divina relatione, neque ex essentiali dumtaxat identitate sigillatim probare possimus; ex praefatis tamen simul collectis exacte conprobari non inconvenit.

UTRUM UNA persona sit in alia? Et videtur, quod non, quia in quocumque est paternitas, filiatio et spiratio, ille est pater et filius et Spiritus Sanctus. Sed, si pater et Spiritus Sanctus sunt in filio, tunc erunt in eo paternitas et filiatio et spiratio, ergo filius esset pater et Spiritus Sanctus et sic esset confusio personarum. CONTRARIUM ponit magister in littera illius 19. distinctionis. Ista quaestio posset habere duplicem intellectum, quorum primus est satis facilis, alter vero difficilis. Primo posset intelligi, utrum una persona sit in alia intellectualiter et

objective. Et tunc de facile respondetur quod sic, quia omne cognitum est in cognoscente objective, vel per se ipsum, vel per suam similitudinem. Sed quaelibet divina persona cognoscit quamlibet divinam personam non per similitudinem, sed per se ipsam. Quia quod aliquid non representetur intellectui per se ipsum, sed in suo simili provenit ex imperfectione praesentati, quae in divinis esse non potest, ergo quaelibet divina persona est in qualibet divina persona per se ipsam intellectualiter et objective. Alio modo posset intelligi haec quaestio, utrum una persona sit in alia realiter et entitative. Et sic, quamvis quaestio sit difficilis, tamen ratione fidei et propter auctoritates sanctorum et dicta sacri canonis, necesse est nos illud firmiter confiteri. Dicit enim salvator: 'Ego in patre et pater in me est', modus tamen declarandi diversimode tangitur a diversis. Quidam enim illud declarant ex divina productione. Aliqui ex divina relatione. Alii ex divinarum personarum essentiali identificatione. Et ideo ponam quattuor conclusiones, scilicet tres negativas et unam affirmativam. Prima est quod quamlibet divinam personam esse in qualibet divina persona non potest probari ex divinarum personarum productione. 2. Secunda, quod hoc non potest sufficienter probari ex divina relatione. 3. Tertia, quod hoc non potest probari sufficienter, si ratio tantummodo sumitur ex divinarum personarum essentiali identificatione. 4. Quarta, quod praedicta inexistencia cuiuslibet divinae personae in qualibet sufficienter probari potest ex reali convenientia et reali differentia, quam habent divinae personae non propter essentiam tantum, nec propter relationem tantum, sed propter essentiam et relationem simul.

PRIMUM PATET: QUIA, si ratione originis sufficienter posset probari productum esse in producente et e converso, tunc pater carnalis vere esset in suo filio, et filius in patre. Consequens est falsum, ergo et antecedens. Consequentia patet, quia filius carnalis vere originatur a patre carnali. FORTE DICETUR quod non est simile de patre carnali, quia talis pater agit actione transeunte, pater autem divinus active immanente. RESPONDEO quod, quamvis generatio divina non sit transiens quoad divinam naturam, est tamen transiens quoad personam, quia pater non generat se ipsum, sed filium, qui realiter quantum ad personam distinguitur a patre. 2. Praeterea, dato quod per realem originem possit aliquo modo

[190]

probari quod productum sit in producente, eo quod omne productum aliquo modo sit in suo principio productivo. Per hoc tamen probari non potest, quod produciens sit in producto; sed in divinis non magis est productum in producente, quam produciens in producto, aequae enim vere est pater in filio, sicut filius in patre. 3. Praeterea, cum origines in divinis sint diversarum rationum, ergo si ratione originis una persona esset in alia, tunc non similiter et uniformiter inessent sibi mutuo divinae personae. Falsitas consequentis est nota apud omnes doctores. Consequentia patet, quia quae per difformem rationem insunt, difformiter insunt.

SECUNDO, dico quod non potest probari, quod divinae personae sibi mutuo insint ratione divinae relationis, quia quae aliquibus sunt ratio oppositionis, illa non sunt ratio praecisa quare unum illorum alteri insit; sed relationes divinae sunt personis ratio oppositionis, ergo etc. 2. Praeterea, ratione illius non convenit personae inesse, ratione cuius sibi proprie convenit adesse, sed ratione relationis personae divinae convenit adesse. Maior patet, quia tales modi simpliciter diversi non possunt convenire eidem ratione eiusdem. Minor est nota, quia relationis esse est adesse. 3. Praeterea, id, quod est praecisa ratio distinctionis personae a persona, non est ratio essendi unam personam in alia, sed relatio in divinis est praecisa ratio distinctionis unius personae ab alia, ergo etc.

TERTIO, dico quod unamquamque personam divinam esse in alia non potest sufficienter probari ex hoc praecise, quod realiter sunt idem in divina essentia, quia ex eo praecise non probatur aliquid alicui inesse, ex quo praecise sibi convenit per se esse. Sed cuilibet divinae personae convenit per se esse propter hoc, quod est idem realiter quod divina essentia, ergo per hoc non potest praecise probari alteri in esse. 2. Praeterea, si ratione qua pater est idem filio in divina essentia pater esset in filio, tunc esset in se ipso per se, et primo, consequens est falsum, ut patet 4. Physicorum, ubi probatur impossibile esse quod idem sit in se ipso primo. Consequentia patet, quia sicut pater est idem realiter filio per divinam essentiam, sic est idem sibi ipsi primo et per se, quia per nihil alterum, ergo si ratione identitatis, quae sibi convenit per essentiam praecise est in filio, ratione qua est idem sibi ipsi per se, et non per alterum esset in seipso primo. 3. Praeterea, ratione illius, qua aliqua sunt omnino idem realiter, non potest praecise probari unum illorum esse in altero. Sed ratione divinae essentiae personae sunt omnino idem realiter. Maior patet, quia semper inter ea, quorum unum est in altero, oportet quod aliqua differentia discernatur, sed in divina essentia sic personae divinae conveniunt, quod in essentia nullo modo differunt.

QUARTO, dico quod quamvis ratio istius inessendi non sit essentia praecise sine relatione, nec relatio praecise sine essentia. Essentia tamen et relatio simul sumpta sunt perfecta ratio, quare quaelibet divina persona est in altera, quia quaecunque suppositaliter differunt, ita tamen quod in una natura realiter conveniunt, illorum necessario unum est in altero. Sed personae divinae ratione relationum realiter differunt, ratione divinae naturae realiter conveniunt, ergo etc. Minor patet ex fide. Maiorem probo, quia in quocunque est natura alicuius, in illo est illud, cuius est natura, praesupposita tamen inter ea reali differentia; alias per illam maiorem semper probaretur idem esse in seipso, quia natura cuiuslibet est in eo. Sed natura cuiuslibet divinae personae est in qualibet divina persona, ita tamen, quod personae realiter differunt inter se, ergo quaelibet divina persona est in qualibet divina persona. SED DICES quod, si illud, quod est ratio per se essendi praecise non est ratio inessendi, et similiter illud, quod est ratio adessendi praecise non est ratio inessendi, tunc nec simul iuncta poterunt esse ratio inessendi, sed, ut superius dixi, divina essentia est ratio personis per se essendi, et relatio ad aliud essendi, et praecise unum illorum ab altero sumptum separatim non poterit esse ratio sufficiens personam essendi in persona, ergo nec simul iuncta poterunt esse causa sufficiens talis modi inessendi. RESPONDEO per interemptionem maioris, quia quaecunque sibi connaturaliter mutuo insunt, oportet ea habere convenientiam et differentiam. Sed nec essentia est ratio differentiae ipsis divinis personis, nec relatio est ratio convenientiae, simul tamen iuncta ratione essentiae sic conveniunt, quod tamen ratione relationis huiusmodi personae differunt. AD ARGUMENTUM principale dicendum ad maiorem quod relationes divinas esse in aliquo dupliciter potest intelligi, scilicet formaliter vel identice. Primo modo maior est vera, quia formaliter paternitas est in solo patre, filiatio in filio, processio sive spiratio passiva in Spiritu Sancto. Secundo modo maior est falsa, quia ratione identitatis, qua omnes divinae relationes sunt idem cum essentia divina, in qualibet divina persona sunt omnes illae relationes, ergo etc.